




Amplissimæ Funeris deductioni

VIRI

AMPLISSIMI, CLARISSIMI ET CONSULTISSIMI,

DN. MARCI SCHLÆVICHII,

Illustrium Archidicast. Pom. Advocati, Ordinum Provincialium Districtûs Wolgastensis Syndici, nec non Inclyti Scabinorum Synedrij in hac urbe Assessoris primarij & optimè meriti;

Editi in hanc lucem Anclami Anno 1586. die 21. Maij; eâdem orbati Stetini Anno 1641 die 18. Septembr. ætatis suæ A. 55. M. 4. hodie, nim. 23. ejusd. mens. in Templo cathedrali Divæ Virgini sacro, more Christiano & solenni humandi;

Ut omnes & singuli in Illustri Pædagogio Studiosi Juvenes, lugentes & condolentes intersint, hortatur, vacante Rectoris loco,

M. HEINR. KIELMANNUS, ejusd. Pædag. ConR. Gr. L. & Poës. Prof.

STETINI, Typis GEORGII GOETSCHII.





I quis omnium ordinum homines, à supremis ad infimos usq; descendens, mente secum tacitè perlustret; ubiq; vitam humanam acerbissimis casibus expositam esse, mirisq; fortunæ flatibus variè agitari, haud obscurè deprehendet. Qvamobrem non injuriâ passim, non tantùm in sacrarum, sed etiam profanarum literarum monumentis, occurrunt de vitæ nostræ fragilitate & instabilitate querimoniæ graves, & mœstæ lamentationes, in quibus illa nunc radio textoris, nunc vento, nubeculæ, navi per fluctus marinos pernicissimè volanti, floribus citò arescentibus, nunc bullæ, umbræ, alijsq; rebus ejusdē generis celeriter evanescentibus comparatur. Veruntamen profanorum scriptorum lamenta à divinorum oraculorum querelis plurimùm discrepant. Siquidem neq; fontem, ex quo omnia mala scaturiunt, exploratum habent; neq; ullam ijsdem certam polliceri medicinam possunt: & ut paucis multa comprehendantur, τὸ ὅτι tantummodò cernunt,

at

at τῷ διότι planè ſunt rudes ac neſcij. Quare perſpicaciſſimus alioqui rerum indagator Ariſtoteles appetitiones ſenſuum, rationi velut obluctantes in anima, confert quidem membris paralyſi affectis, quæ dextrorſum flexa ſiniſtrorſum feruntur: ſed unde in anima paralyſis orta ſit, cauſam explicare poteſt minimè. Soli Iſraëlis fontes limpidiſſimi non ſolùm aperiunt cauſam morbi latentis iſtiusmodi, & quidem atrociſſimi: ſed etiam remedia certa ac firma demonſtrant, quibus à nobis ille profligetur, & ſalus priſtina recuperetur. Quibus Pharmacis quicunq; ex divina verbi cœleſtis officina ritè utuntur, næ calamitates hujus vitæ miſeræ ac caducæ, ſordesq; omnes humanas animo celſo deſpiciunt; & longè beatiorem vitam, ſolidioraq; bona, poſt depoſitas hujus corporis exuvias, ſeſe conſecuturos eſſe confidunt. Atq; ſanctiſſimo hujusmodi hominum cœtui ſe quoq; inſertum fuiſſe, quàm diu vixit, contempta vi mortis, ex animo lætatus eſt Vir piæ mem. Ampliſſimus, Clariſſimus & Conſultiſſimus, Dn. MARCUS SCHLÆVICHIUS, Illuſtrium Archidicaſteriorum Pomeranicorum Advocatus, Ordinum Provincialium Diſtrictûs Wolgaſtenſis Syndicus, nec non celeberrimi Synedrij Scabinorum in hac urbe Aſſeſſor primarius & optimè meritus: cujus ex hac miſeriarum valle exempti funeri die hodierno juſta ſolvenda ſunt. Quo in officio pio & Chriſtiano ne quid

omittamus, quod nostrarum partium videatur esse; de ortu, ac curriculo vitæ Viri CL. τȣ̃ ἐν ἁγίοις, honesto & præclaro, pauca pro more commemorabimus hoc loco: ut non solùm gratam piè defuncti memoriam, ut meritus est, retineamus & conservemus; sed intelligat etiam familia honoratissima, nullo modo voluisse nos in hoc luctu ipsorum, testificatione τῆς συμπαθείας piæ & sinceræ, nostro officio deesse.

Prodijt in hanc lucem ὁ μακαρίτης, Parentibus generis, pietatis, virtutis & integritatis laude conspicuis, Anno CHRISTI 1586. die 21. Maij, in oppido Pomeraniæ non ignobili ANCLAMO. Patrem habuit Virum Spectatissimum, & civili prudentiâ atq; politâ literaturâ præstantissimum, Dn. HENNINGUM SCHLÆVICHIUM, Advocatum & Juris Practicum ibidem eximium. Mater fuit ANNA, ex STEPHANORUM ejus loci familiâ splendidâ, oriunda. Ab his Parentibus honestè liberaliterq;, ut decet, ineunte ab ætate, educatus est. Dederunt enim illi operam, ut non solùm in doctrina pietatis, sed etiam rudimentis primis literarum & artium bonarum, tenera ipsius ætas in schola patria imbueretur. Fundamentis ergo linguarum & artium laudabiliter jactis, sub ingressum Anni 1603. in Illustre hoc PÆDAGOGIUM missus, & Rectoris eo tempore celeberrimi, Dn. M. CHRISTO-

STOPHORI BUTELII, fidei ac disciplinæ commissus est. Hîc quoq; eos summa cum laude fecit progressus, ut non tantùm omnes Philosophiæ partes probè & accuratè teneret, sed easdem etiam egregiè ac strenuè tueri posset. Sub finem Anni 1605. commodam nactus est occasionem, quâ optatò superioris Germaniæ terras ac provincias visere potuit. Missus enim cum Discipulis quibusdam, eum tenuit itineris cursum, ut celebriores pleras; adiret urbes, BERLINUM nempe, WITEBERGAM, LIPSIAM, NUMBURGUM, ERPHORDIAM, GOTHAM, FRANCOFURTUM ad MOENUM, WORMATIAM, SPIRAM; tandemq; per ditionem MARCHIONUM BADENSIUM feliciter perveniret ARGENTORATUM. Hîc in Annum usq; 1608. commoratus, in studiorum tractatione & continuatione sedulâ totus fuit. Eodem Anno in Academiam patriam, GRYPHISVVALDIÆ quæ est, sese contulit; ibiq; Legalis scientiæ studio nobilissimo ingenium operamq; omnem addicere cœpit: & simul Jurisconsultis præcellentissimis, Dn. D. PETRO FROBöSIO, Dn. D. MATTHIÆ STEPHANI, Dn. D. PETRO BESTENBöSTELIO, nec non Archiatro Ducali celeberrimo, Dn. D. JOHANNI STURMIO, aliisq; Viris clarissimis familiariter innotuit: quibus etiam promoto-

motoribus, Nobilibus quibusdam adolescentibus adjunctus, VVITEBERGAM, LIPSIAM & JENAM profectus est, & Lipsiæ quidem triennium integrum exegit; eademq; occasione DRESDAM, Electorum Saxoniæ sedem munitissimam, cum omnibus ibidem visu & memoratu dignis lustravit. Hinc Anno 1614. in Academiam ROSTOCHIENSEM se recepit: ubi non minùs, ob singularem morum elegantiam & suavitatem, in amicitiam intimam penetravit summorum virorum, Dn. D. THOMÆ LINDEMANNI, Dn. BERNHARDI CLINGII Consulis, Dn. D. REINHOLDI à GEHREN: quam etiam amicitiam iidem ad finem usq; vitæ constantissimè cum ipso coluerunt. Anno 1615. in patriam dulcissimam ANCLAMUM rediit: cumq; rebus ita ferentibus STETINUM iter fecisset, & cum Dn. D. DANIELE CRAMERO, Theologô de hac nostra Ecclesia & Pædagogio præclarè meritô, beatæ memoriæ, familiaritatem contraxisset; is quoq; tanto statim amore nostrum piè defunctum complexus est, ut non dubitaret filiam suam dilectissimam, virginem lectissimam GERTRUDEM eidem petenti despondere: quam etiam subsecuto Anno 1616. die 14. Octobris in matrimonium ὁ μακαρίτης accepit, & cum illa in conjugio suavi & tranquillo vixit annos 14. suscepitq; ex eadem liberos quinq;, duos nempe filios,

lios, & tres filias: è quibus filia una superest, fœmina cultißima, DOROTHEA ELISABETHA, Dn. ZACHARIÆ CRAMERI conjunx carißima. Anno 1619. die 23. Septembr, in Amplißimum SCABINORUM Synedrion cooptatus est: quo munere annos 22. sic perfunctus est, ut ipsius fidem & dexteritatem optimi quiq; summopere prædicarent.

Porrò per mortem sublatâ uxore priori (id quod factum est Anno 1630. die 19. Octobr.) viduam egit vitam ferme biennium, & postea, anno nim. 1632. die 11. Junij, uxorem alteram duxit Matronam spectatißimam, MARGARETAM Werthers/ Dn. JOHANNIS KIESELBACHII, Senatoris quondam hujus Reipub. primarij, relictam viduam, & nunc iterum viduam mœstißimam: cum qua similiter vixit in conjugio jucundo & peroptato ad hoc usq; tempus; & filium unum, unamq; filiam, solam adhuc superstitem, ex ea suscepit. Anno 1634. die 16. Aprilis, Statuum Provincialiũ Ducatûs VVolgastensis SYNDICUS constitutus est: cui etiam functioni admodum arduæ summâ cum nominis sui gloriâ hactenus præfuit. Ut omnia in pauca contrahantur, fuit noster μακαρίτης in omni vita pius, justus, candidus, beneficus, comis & humanus: quod ipsa rerum testimonia satis superq; in ipso, nullo non tempore probarunt. Ante hebdomadas quatuor morbo satis gravi affligi cœpit.

Et

Et licet fideli curâ & medicamentis pretiosis maturè malo huic obviam itum fuerit; tandem tamen catarrhus quidam suffocativus præter omnium opinionem accessit. Quod cùm ipse ægrotans persentisceret, animam suam Redemptori & Domino nostro commendavit, verbisq; his ultimis prolatis, DOMINE JESU CHRISTE JUVA ME, vitam piè beateq; finijt; cùm vixisset annos 55. menses 4.

Exanime illius corpus hodie horâ 2 solenni ac Christiano ritu in templo Cathedrali Divæ Mariæ sacro humabitur. Justo ergo tempore omnes & singuli Studiosi Juvenes in Auditorio majori convenient, & funeris hujus exequias decenti comitatu nobiscum prosequentur. Erit hoc officium ordine nostro dignum, & familiæ Amplissimæ lugenti gratissimum. Publicè propos. anno & die, ut suprà.



